



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Illius excellentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Unquentum effusum vocat nomen Jesu Christi, immensam ipsius misericordiam, atque pietatem erga nos ostendit. Philo Carpath. hic.

Oleum effusum nomen tuum. Ib. Oleum non tantum ex olivis, sed ex quolibet flore, herbâ, aromate, distillatur, quod totam rei substantiam, succum, & vim, ex fugit; unde à medicis vocatur quinta essentia: quâ si cum oleis aliorum aromatum scite commisceatur, unguentum facit præstans. Hin. Sept. Vatablus & alii, vertunt: *unguentum evacuatum nomen tuum.* Syrus: *unguentum myrrha nomen tuum.* Cornelius hic.

§. II.

Excellentia.

Edisti eis Salvatores. 2. Eldrâ 9. 27. Lego Judices à Deo lectos, vocatos esse, non bellicosos, non aulâ principes, non Dominos, sed augustiore nomen claturâ. *Salvatores.* Judic. 3. 9. Num. 13. 17. *vocavitque Osea Josue nobilens.* q. 37. ad significandum, quod Moyse præficebat Josuen aliis exploratoribus; ideo vocavit Salvatorem, id est, quod haberet curam de aliorum salute. Velloso in Judith 5. Paren. 26.

Liber Jesu Christi filius David. Matth. 1. 1. Cur non ponit titulos splendidos divinitatis? majori gloriatur titulò Jesu Salvatoris. Prius se Christus Servatorem, quam regem hominum agnosci vult. Id. ib. In eo, quod dicitur *Jesu*, Deus esse asseritur; & ipsam celsitudinem Filii Dei potius voluit salvandi operibus ostentare, quam speciosis titulis, & nominibus Filii Dei. Rupertus apud Sylveiram hic q. 9. Cur prius ponitur nomen *Jesu*, & postea *Christi*? Quia nomen *Jesu*, id est, *Salvator*, dicitur merita; *Christus* verò dignitatem. De meritis ergo potius, quam de corona, & purpura, *Salvator* noster gloriatur. Id. hic. q. 10.

Inventa una pretiosa margarita &c. Matth. 13. 45. Gloriosum, & optabilissimum nomen *Jesu* pretiosa est margarita; quam, qui omnem suam substantiam vendiderit, comparare potest; & latitiam majorem, quam dici possit, de inventionem habere. S. Diadochus Ep. de perfect. spir. c. 59.

Vocabis nomen ejus Jesum-filius altissimi vocabitur! Luc. 1. 31. 32. Rupertus de aper. Spir. S. c. 10. Paulò antè vocabis nomen ejus *Jesum*; hic autem, vocabitur *Filius Dei*: illic, *vocabis*, hic autem, *vocabitur*. Angelus ait, quod *Christus D.* vocandus, seu publicandus sit *Jesu*, magnus, & *Filius Dei*. Et licet nomen *Dei* sit valde sublime; conceditur, ut à multis dicatur primò. At nomen *Jesu* adeò altum, sanctum; ut illud primùm enuntiare solum committatur B. Virgini elevata super omnes puras creaturas; & purissimâ ejus lingua. Sylveira in Act. 3. 6.

Vocatum est nomen ejus Jesu. Luc. 2. 21. *Proprium est nomen ipsi mirè nato: quoniam*

solum sibi proprium est, posse Salvare. *Substantivum* est, quia veram, & beatam substantiam facit: *Adjectivum* est; adjecit multa super naturam conditam: *Commune* est, communiter omnibus factus est *Jesu*. Sim. Cass. l. 1. c. 10. Cur potius *Jesu* quam *Emmanuel* vocatur? ut vocandum prædixerat l. 7. 14. *Emmanuel* significat naturâ excellentiam; *Jesu* officium Redemptoris; quòd vitam pro suis daturus esset. Potius verò obligatio muneris debet ante oculos observari, quam dignitas personæ: ideoque, ut fixa semper esset in mente, in sculpta est in nomine. Sylveira in Luc. 2. q. 9.

In nomine Jesu Christi Nazareni surge. Act. 3. 6. *Deus* significat Dominum, & Creatorem; *Jesu* significat Deum, ut Salvatorem, & omnium redemptorem: sicut enim majus est beneficium redemptionis, quam creationis; ideo majus est nomen *Jesu*. Abul. q. 7. in Ex. 2. Unde consuetudo laudabilis est in Ecclesia; quòd magis honorat nomen *Jesu*, quam nomen *Deus*. Unde auditò nomine *Jesu*, devoti Fideles caput inclinant; quod non faciunt auditò nomine *Deus*: & qui illud inhonorat, magis peccat; quam si inhonoret nomen *Deus*. Sylveira hic q. 18.

Donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philipp. 2. 9. Orig. hom. 1. in Jos. & Bernardus l. 1. & 2. de Circumcis. putant hæc nomen esse *Jesu*. Sed quomodo hæc nomen, etiam *Jehovah*, nomen ineffabile; quod, ob suam excellentiam, nefas erat proferrit, nisi à Summo Sacerdote? Excellit ob merita; quia redimendi munus nomine *Jesu* significatur; & suis meritis nostram salutem operatus est. Cassillo in Ex. 28. Illat. 3. Ipsum nomen *Jesu*, quod est super omne nomen, & in quo spectatur omne genu, obedientiæ remuneratio est. S. Bernardus f. de verbis Petri, ecce nos reliquimus omnia.

Donavit illi nomen. Philippus. 2. 9. Quare Luc. 2. 21. *vocatum est nomen ejus?* Ac in Cruce datum? *Jesu*, id est, *Salvator* nostram Salutem in cruce operatus est: ibi ergo nomen ei datur; hic verò antè in circumcissione veluti creditur ex meritis solvendis. Sylveira in Luc. 2. 21. q. 12.

Cum nomino *Jesum*, hominem mihi propono mitem, & hominem corde, benignum, sobrium castum, misericordem, & omni Sanctitate conspicuum: eundemque ipsum Deum omnipotentem. Hæc omnia simul mihi sonant, cum in sonuerit *Jesu*. S. Bernardus f. 17. in Cant.

Nomen *Jesu* est virtuosum: quia omnes virtutes, quas Deus posuit in herbis, lapidibus, verbis, planetis, stellis, constellationibus; omnes sunt & continentur, in hoc benedicto nomine *Jesu*. Vincent. Ferr. f. in festo Circumcis. D.

Omnia, quæcunque Deus pro salute humana ordinavit, in *Jesu* nomine comprehenduntur. S. Bernardinus f. 49.